Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 733
Quelle:
Copyright:

nec procedens, *Filius ex Patre genitus non procedens*, *Spiritus ſanctus ex Patre et filio non genitus ſed procedens*, Noſtrum habet: *Quod pater nec factus*, *nec natus eſt*, *filius natus non factus eſt*, *ſpiritus uero ſanctus nec natus*, *nec factus*, *ſed ex patre et filio procedens*. Paullo poſt Edita omittunt: *filius genitus*. Item ubi Edita: *Quomodo filius de patre natus eſt*, *ſpiritus vero ſanctus procedendo non naſcitur*; Noſtrum praefert: *quomodo filius naſcendo procedit*, *ſpiritus vero ſanctus procedendo non naſcitur*, et plura ejusmodi, quae ſaltem expendi merentur.

V. *fol.* 51. p. 2. Reditur ad *Auguſtini* Excerpta.

VI. *fol.* 59. *Incipit liber S. Auguſtini epiſcopi contra fulgencium donatiſtam.* Abjudicarunt eum ab *Auguſtino* poſt alios *Mauriani* collectis in *Praef.* rationibus et in *Append.* T. IX. *col.* 3. locaverunt. Vetuſtus tamen Autor et *Auguſtini* conterraneus ita orditur: *Libellum quem mihi religio tua frater fulgenti direxit* &c. Clauſulam, quam Codex noſter apte ſubdit, nemo hactenus Editorum in Exemplis ſuis reperiſſe videtur. Eſt vero haec: *Et ideo quoniam regnum ueſtrum* (Donatiſtarum) *religione diuiſum eſt*, *diuiſionem neceſſe eſt*, *interitus ſubſequatur*.

VII. *fol.* 68. *Incipit liber S. Auguſtini epiſcopi ad dardanum de preſentia dei et de templo eius.* Initium: *Fateor mi dilectiſſime dardane illuſtriſſime mihi in caritate chriſti* &c. pro *illuſtrior*. Epiſtola eſt CLXXXVII. T. II. edit. *cit. col.* 678. et finit: *optans medicinam quam* (qua) *concedis et ueniam.*

VIII. *fol.* 80. primum *Auguſtini Retractationes* in praecedentem Librum et in eum *de Utilitate credendi*, quem N°. II. indicavimus, dein Excerpta iterum e variis ejus Operibus.

IX. *fol.* 84. p. 2. Animae humanae cum Virtutibus et Vitiis ſuis allegorica adumbratio, quae ſic init: *Rex potens et nobilis III. habuit filias. fidem ſpem et caritatem. His delegauit ciuitatem eximiam. humanam animam in qua cum III. arces ſint. ſcilicet rationalitas concupiſcibilitas iraſcibilitas. unicuique ſuam contradidit* &c. Redeunt conſtitutis adminiſtris ad Patrem Filiae; ſed interea inimicus expugnat Civitatem, quae non niſi auxilio Gratiae cum virtutum exercitu adducto recuperari potuit. Haec non ſine ingenio pertexta *Parabolam* V. in Opp. *Bernardi* edit. *Maur.* T. III. *col.* 1254. conſtituunt.

Auguſtini quae ſunt in Codice, ſatis caſtigata ſunt. Ad eum poſtice conveſtiendum adhibitae ſunt Membranae II. Sec. XIV. Formulas quasdam Curiales exhibentes, puta: *Conceſſionem Feodi*, *Renunciacionem Curie*, *Arengam*, *Peticionem pro promocione in Eccleſia*, *Conceſſionem quandam Ordini*, nempe religioſo, *Literam comminacionis* &c. Generalia omnia, niſi quod in Renunciatione Curiae *ſolempnis Curia Franchenfurt* memoratur.